Iesus Maria Raymundus.

DISCVRSVS PRO IOANNE ACASIO VERNAL HIDALGO ARAGONIÆ, comediarum Auctore.

CONTRA

IOANNEM FRANCISCVM BROSSA CIVEM honoratum Vici, &c.

IOANNES Acasius Vernal hidalgus Regni Aragoniæ detinetur in carceribꝰ pro debito ciuili, instat relaxationem pro obseruantia sui priuilegij; contradicit creditor, dicens illum beneficio hidalguiæ esse indignum, quod hystrio sit, & hystroniacam artem exerceat, quæ vilis est, & eum infamem reddit. Ad id probandum duas firmat conclusiones. Prima est priuilegium hidalguiæ, generositatis, militiæ, seu nobilitatis amitti per exercitium artis vilis, ex qua infamia incurritur seu irrogatur. Secunda est, quod hystroniaca ars est vilis, & infamiam subijt qui in scenam prodijt ludricã artem agens præcipuè quæstus gratia.

Prima conclusio est manifesta ex *tex. in l. nobiliores*, vbi notat *Bal. C. de commer. l. ne quis, C. de dignita. lib. 12. & in §. 1. vers. Sancimus*, ibi, *artifices ignobiles*, *in Auth. de testibus*, multis confirmat *Tiraq. de nobilitate cap. 27. Otalora eodem tractatu 4. p. cap. 7. num. 2. Ignatius de Villar lib. 1. responso. respon. 6. num. 4. Ludouicus Mexia in prag. taxæ panis conclu. 6. num. 23.*

num. 23. Gironda de priuilegijs num. 1062.& seq.

Secundam conclusionem probat *tex. in l. 1. ff. de his qui notantur infamia*, ibi, *qui artis ludricæ, pronuntiandiue causa in scenam prodierit coniuncta l. 2. §. ait prætor, eod. tit.* ibi, *Ait prætor, qui in scenam prodierit infamis est, scena est, quæ ludorum faciendorum causa quolibet loco vbi quis consistat, moueaturq́; spectaculum sui præbiturus, l. penul. C. eod. tit. c. definimus 4. q. 1. c. maritum 33. distin. c. pro dilectione de consecra. dist. 2. l. minime 4. C. de Episcop. aud. l. 4. C. de spectacul. lib. 11. l. si libertus 7. ff. de operis libertorum nouella 115. cap. 3. vers. Causas,* ornat latissimè *Tiraquellus vbi supra cap. 34. à num. 13. Petrus Faber Semest. lib. 2. cap. 12. vers. Cum his qui artes ludricas, Renardus lib. 3. var. cap. 11. Alfonsus Mendoça q. 9. quolibet. nu. 13. & Ferdinandus Mendoça de confirmatione Concilij Illiberitani. lib. 3. cap. 58.* plures refert *Osualdus ad Donellum commenta. lib. 18. cap. 7. littera A. Demster ad Rosinum in Paralimpom. lib. 5. antiquita. cap. 6. Iulius Cæsar Bulengerius tom. 2. tractatu de theatro, cap. 51. de infamia theatri, Ioannes Caluinus in lexico iuris, verbo hystriones,* qui dicit necesse fuisse hystriones perditissimos fuisse moribus, & deploratæ nequitiæ, cùm in ea ciuitate, puta Romana, pro ciuibus non haberentur, cuius erant tam multa millia hominum flagitiosorum ciues, itaque non mirum esse illos fuisse notatos infamia, *Fructuosus Vidal in tract. de las comedias cap. 4.* qui dicit omni iure hystriones, & repræsentantes fuisse habitos pro infamibus, & cum questus gratia hanc artem exercent, quod viles sint & censeantur, probat clarè *tex. in d. l. 2. §. vltimo, ff. de his qui notantur infamia*, ibi, *eos enim qui questus gratia in certamine descendunt, & omnes propter premium in scenam prodeuntes famosos esse, Pegasus & Nerua filius* responderunt, quem *tex.* ad id adducit *Iulius Cæsar Bulenger.* & alij supra relati, addo nouissimè *Stephanum Gratianum discep. Forens. to. 1. cap. 185. num. 46.* vbi dicit hystriones non inferre infamiam ad iniuriam, & allegat *Tacitum annal. lib. 11.* dicentem, quod apud istos nouissima voluptas est infamia, & *Iuuenalem satyra 6.* ibi, *Famam contempserat olim, cuius apud molles minima est iactura.*

Sed prædictis non obstantibus in contrarium est veritas, nimirũ Ioannem Acasium Vernal hidalgum, fore relaxandum è carceribus in quibus detinetur pro debito ciuili; nec ei obesse in aliquo quod sit autor de comedias, y representãt: id triplici ex capite demonstrabo esse indubitatum.

Sed præmitto inter alias nobilitatis & hidalguiæ prærogatiuas illam esse præcipuam, quod nobiles seu hidalgui non possunt capi, seu in carcerem conijci, aut vinculis detineri, hæc prærogatiua probatur, *arg. tex. optimi in l. 3. §. tutores qui repertorium, vers. Sed sciendum est, ff. de suspect. tuto. l. medicos 6. C. de professo. & med. lib. 10. l. miles, ff. de iudicijs,* & in dictis locis tradũt Doctores communiter, *Bal. in l. 1. prope finem, C. qui bon. cædere posses.* latissimè *Couar. var. lib. 1. cap. 1. nu. 4. & rep. cap. quamuis pactum in initio 2. p. nu. 5. Baeça de inope debitore c. 16. n. 2. Otalora de nobilitate 5. p. cap. vlt. num. 2. Mencha. lib. 3. cont. illus. cap. 97. num. 7. Ioan. Garcia de nobilita. glos. 1. num. 8. Carolus Tapia in l. fin. de constitutio.*

stitutio. Principum cap.6. p.2. num.5. & 6.Gratianus discept. Forens.tom.3. cap.328.num.21. de hac prærogatiua extat lex 3.Regni Castellæ *lib. 6.recopila.tit.2.de los hijosdalgo,& in l.49.Tauri*,& extat etiam constitutio huius Principatus 26. Curiarum Petri II. anno 1283. cui non potest renũtiari cõstitutione 115. Curiarum Philippi anno 1585. Ratio autem inductiua istius priuilegij est, quod nobiles & hidalgui libertate & ingenuitate summa potiuntur, quam vt tueantur, omne genus seruitutis ab eis deijci necessum est,carcer autem libertatis est priuatio, vt *Papinianus* scripsit in *l.Titio,§.Titio, lo.2.ff.de cond. & demonstra.* vbi dum à testatore præceptum non recedendi ab aliquo loco iniungitur, ius libertatis infringi pronunciatur, vt notat *Bart. in auth.de defenso.ciuita.§.audient. num.2.* & vt *Venuleius* melius inquit in *l.2.ff.de lib.hom.* exhibendo nihil multum ab spetie seruientium differunt, quibus facultas non datur recedendi, ornant *Doctor Bernardus Sandoual in tractatu de cura pauperum carceratorum cap.2.in principio,& Amescua de potestate in se ipsum lib.1.cap.16.n.12.* ideo *lege Petileia* de qua *Liuius decade 2. lib. 8.* cautum fuerat, vt nullus pœnitus pro debito ciuili in carcerem detruderetur, sed de bonis,Iudices creditoribus satisfacerent,quæ quamuis quoad plebeios antiquata sit ex *l.1. & per totum,C.qui bonis credere possit, & l.1. ff.qui satisd. cog.* quoad nobiles & hidalgos merito retinetur.

Hoc præmisso triplici ex capite demonstrabo Ioanni Acasio Vernal, vt repellatur à beneficio hidalguiæ non posse obijci quod auctor sit comediarum,& in theatro representet publicè questus gratia.

Primo,quia representãtes isti nostri temporis non dicuntur exercere artem indecoram, inhonestam seu vilem, quinimo laudabilem, & reipublicæ vtilem. Non enim comediæ hac tempestate,& in nostra Hispania recitantur in publicis theatris cum illis obscenitatibus & turpitudinibus quibus erat solitum peragi apud antiquos Romanos, sed pudicè, & prout honestati,& castis moribus decet comediæ geruntur,sine lasciuis gestibus,atque motibus,sine saltationibus ad lasciuiam & libidinem excitantibus, suntque earum argumenta decori, & Christianæ circumspectioni conueniẽtia,& nihil in publico agitur quod à patribus Inquisitoribus,ordinarijs locorum, & Regijs ministris nõ sit approbatum.Ideo necessum est differre representãtes nostros ab illis antiquitatis hystrionibus, & quod infamiæ obscenitas,& impudicitas actuum & functionũ illis, attulerat honestitas & pudicitia, candoris & decoris adferat & conseruet. Antiquitatis hystriones ad viuum omnia representabant, & posito lecto in ochestra, (idest loco illo vbi saltator agere posset in vt ex *D.Isidoro* docet *Demster ad Rosinum lib.5.cap.10.*) adulterium publicè consumebatur,& de his intelligitur *D. Cypria.lib.2.epist. 2.ad Donatum*,vbi enumerans spectaculorum abominationes,adulteria ad viuum representata demonstrat,dicens, *in theatris quoque conspicies quid tibi & dolori sit,& pudori de incestis horror antiquus expressa ad imaginem veritatis actione.*

Adulterium dicitur, dum videtur lenocinante ad vitia publicæ auctoritatis malo, & clarè *D. Chrysostomus tom.1.hom.de Dauid.& Saul.§.cui titulus periculosum esse adire spectacula*, quam commendat *Baronius tom.5.* anno 395.dicit *Chrisostomus: Non metuis, non exppauescis dum oculis quibus illic lectum qui est in ochestra spectas, vbi detestandi adulterij fabulæ peraguntur*, optimè *Tertulianus de spectaculo, lib.17.* ibi, *Ipsa etiã prostribula publicæ libidinis hostiæ in scena proferuntur, plus misera tamen præsentia fæminarum quibus solis latebant, per quæ omnis ætatis, omnis dignitatis ora transducũtur, locus, stypes; elogium etiam quibus opus non est prædicatur. Taceo de reliquis ea quæ in tenebris delitescere decebat, ne diem contaminarent: erubescat Senatus, erubescant ordines omnes illæ pudoris sui interemptrices de gestibus suis ad lucem & lucem expanescentes*, & alijs ommissis *Saluianus lib.5.de prouidẽtia* in hæc elegantissima verba: *Talia sunt quæ fiunt in theatro, vt ea nõ solum dicere, sed etiam recordari aliquis sine pollutione non possit: alia quippe crimina singulas sibi fermè in nobis vendicant portiones, vt cogitationes sordidæ animos, vt impudici aspectus oculos, vt auditus improbi aures, vt cum ex his vnum aliquid errauerit, reliqua possint carere peccatis: in theatris verò nihil eorum reatu vacat, quia & concupiscentijs animus, & auditu aures, & aspectu oculi polluuntur; itaque in illis imaginibus fornicationum omnis omnino plebs fornicatur.* De quodam Fictitio Sceuola qui in amphytheatro dexteram foco iniecto spectãtibus Romanis exussit, meminit *Marcialis lib.8.Epigram.30. & lib.10. Epigram.25.* notat *Ludoui. Card. in notis ad Tertulia. & Rader. ad Marcialem in dictis locis*, & de alijs viuis representationibus agit *Tertulia. in Apologet.cap.15.* his verbis: *Vidimus aliquando Castratum Atym illum Deum ex Pessinante, & qui viuus ardebat Herculem induerat.* Si ergo hæc ita furentia & impudica in theatris agebãtur, quis non dicet hystriones illos questus gratia in theatra prosiliẽtes infamia iustè fuisse notatos? Certè nemo. Vnde hos ferè omnes fuisse seruos, ex *l. sed & si quid 19. ff. de vsufructu. l. vt iurisiurandi 7.§.habetur, l.patronus 25.l.si libertus 27. ff.de oper.libertorum, l.lege Iulia, §.1.vers.An & is.ff.de ritu nup. l.hæ demum, ff. de op. liberto.* & alijs notat curiosè *Petrus Faber. Semest. lib.2.cap.52.*

Nostris temporibus hæc omnia cessant in theatris, in quibus & honestas seruatur, & verecundia castis moribus perseuerat, iuxta monitum *Imperato. in l.vnica, C.de maiuma. lib.11.* Ideo quamuis spectacula, & comediarum representationes sancti Patres præ oculis habentes antiquitatis obscenitates & turpitudines moneant, è republica exterminari. *P. Grego. in syntag.lib.39.cap.5. Gusman del honesto trabajo, discurso 6.§.3. Ribera super Michæam cap.1.à num. 62. Fr. Ioseph. de Iesu Maria lib.4.de castitate c.16. Ribadeneyra de tribulatione lib.3.c.11.* quibus addo *Adamum Cotzen. de republica lib.3. cap.13.* Attamen comediarum actum non esse peccaminosum, sed indifferentem docuit *sanctus Thomas 2.2.q.168. art.3.* quem omnes communiter sequũtur, addo *M. Anto. Camos 1.p. Microcosm. dialog.12. Mendoça q.9. quolibeti, Bouadilla lib.5.poly.cap.4.n.20. & Pater Petrus de Gusman in suo pulcherrimo*

cherrimo tractatu intitulato bienes del honesto trabajo, y daños de la ociosidad, in discursu 6. quamuis contra comedias & earum representantes inuehat; attamen à sententia Doctoris Angelici non recedit, & addit sequentia: *Yo digo que aunq̃ hablando con rigor scholastico, y con el que habla santo Thomas, el oficio de representar comedias quanto es de suyo no sea malo, sino es que las circunstantias, que andan como anexas y vinculadas à el le vicien y estraguen, es tan dificultoso el desnudarle de ellas, y tan facil pegarse à el estos aderentes no buenos, que seria discreto y acertado consejo quitar del todo este entretenimiento.* Vnde si conditio adiecta à *Diuo Thoma* adhibeatur à representantibus, ibi, *dummodo moderatè ludo vtantur, idest non vtẽdo aliquibus illicitis verbis & factis ad ludum, & non adhibendo ludum negotijs & temporibus indebitis,* subdit, *guarden la condicion que santo Thomas pide, de suerte que en la substancia el acto sea bueno, y en las circunstancias tambien; diran: Assi lo hazemos, sea mucho en hora buena, oxala ello siempre sea assi;* & ideo necessario laudat & admittit nostros hos representantes, qui summo cum rigore cõditionem à *D. Thoma* requisitam obseruant. Nihil enim aliud est in comediarũ representationibus, quam hominum solatium, & hac de causa in republica sunt vtiles: nam vt eleganter *Cicero* ait *2. Philip. Homines quamuis in rebus turbidis, tametsi modo homines sunt, interdũ animus relaxatur, ne ex nimia restrictione tristitia generetur,* & ideo *Imperatorum. in l. 2. C. de maiuma.* in *Theodosiano* sunt maximè ponderanda verba illa, *lætitia reddatur cunctis, l. 4. C. de paga. & l. 1. & 5. C. de spectaculis.* Quemadmodum enim corpus indiget quiete, ita animus honesta delectatione iuuatur. Humana quippe vita ita composita est, vt ad sui conseruationem necesse sit, vt labori à tergo sit otium, & post hoc ille sequatur, ita vt contentus manibus alter alterius onera supportet, ne animus continua & seria meditatione fatigetur, & corpus continuo labore hebescat & langueat, sic multa prudentes seuerique viri post defatigatum labore corpus, vel studijs, vel alijs occupationibus animum solebant honestis ludis, aut delectationibus operam dare, de Augusto narrat *Suetonius in Augustum c. 71. & 83. & de Mutio Sceuola* egregio Iurisconsulto narrãt auctores pilæ ludo se exercuisse, de Mœcenate *Horatius,* de se *Plinius iunior in epistolis* præcipuè *lib. 5. epist. 3. & lib. 8. epist. 21.* Huc respexit prudentissimus Romanorum & Hispanorum primus *Seneca de tranquillitate cap. 3. & cap. 25.* his verbis aureis: *Neque in eadem intentione æqualiter retinenda mens est, sed ad iocos reuocanda, cum pueris Socrates ludere non erubescebat, & Cato vino laxabat animum iuribus publicis fatigatum, & Scipio triumphale illud, & militare corpus mouit ad numeros. Danda est remissio animis, meliores acrioresque requisiti surgent, vt fertilibus agris non est imperandũ; cito enim exhauriet illos, nunquam intermissa fæcunditas, ita animorum impetus assiduus labor frangit, vires recipiunt paululum resoluti & remissi: Nascitur ex assiduitate laborum animorũ hæbetatio quædam & lãgor, neque ad tanta hominum cupiditas tenderet, nisi naturalem quandam voluptatem haberet ludus, iocusq́; quorũ*

frequens

frequens vsus omne animi pondus eripiet, multumq́; interest remittas aliquid, aut cum soluas, legum conditores festos instituerunt dies, vt ad hilaritatem homines publicè cogerentur, tãquam necessarium laboribus interponentes temperamentum, & multum bene *Cassiodorus lib.32.varia.cap.51.* in hæc verba erumpit apprimè ad rem de qua agimus conuenientia: *Hæc* (inquit) *nos fouemus necessitate populorum imminentium, quibus vnũ est ad talia conuenire dum cogitationes serias delectantur abijcere. Raro eos enim ratio capit, & raro probabilis oblectat intentio, & ad illud potius turba ducitur, quod ad curarum remissionem constat inuentum, expedit interdum decipere, vt populi possimus desiderata gaudia continere.*

Istud hominum temperamentum, solatium, refrigeriumve, in comediarum representationibus multi consequuntur; propterea honestam, & vtilem reipublicæ hanc functionem cogimur affirmare, dum intra pudicitiæ cancellos retinetur. Nec scrupulosus obex in consideratione ponatur, quod in theatris occasio est, ornatas, & pulchras mulieres conspiciendi; nam & id in plateis, vicis, & Ecclesijs contigit, vbi optimè notauit & præuisit *Ouidius lib. 2.de tristibus.*

Peccãdi causam, quam multis sæpe dederũt
Martia cum durum sternit arena solum.
Tollatur Circus, non tuta licentia Circi est,
Hic sedet ignoto iuncta puella viro.
Cum quadã spatiẽtur in hac, vt amator eodẽ
Conueniat, quare porticus vlla patet.
Quis loc⁹ est tẽplis angustior, hæc quoq́; vitet
In culpa, si qua est, ingeniosa summa.
Omnia peruersas possunt corrumpere mẽtes,
Stant tamen illa suis omnia tuta locis.

Merito ergo per prædicta constituendum est, representãtes comedias hac nostra ætate in qua seruatur ad vnugem conditio D. Thomæ (nec enim aliàs à domino nostro Catholico Rege, & ab alijs Relosissimis Ecclesiasticis, & Regijs Iudicibus permitteretur) artẽ licitam, & honestam exercere, & infamia vlla notari. Ita eleganter notauit propugnator comediarũ, & theatrorum *Pater Petrus Gusmã vbi supra fol.mihi 321. discurso 6.§.7.* in hæc verba: *Templa algo este rigor Nicolao Plouc en el lugar citado (est tit.3.de sacramentis) y otros tambien si este oficio se exercita con las circunstancias deuidas, y que piden despues de santo Thomas sus discipulos los Theologos, ni incurren en nota de infamia los que andan en el, ni en pecado*, & hoc est in causa, quod noster Ioannes Acasius Vernal fuit iam aliàs ex deliberatione Senatus Vallissoleti, & Senatus Pamplonæ è carceribus in quibus pro debitis ciuilibus detinebatur, non obstante exceptione quod comedias ageret, relaxatus.

Nec quicquam facit, quod hãc artẽ dictus Vernal exerceat questus gratia, quia dato quod ars ista ex se non sit vilis & inhonesta, prout reuera non est, sed vtilis reipublicæ, quod questus gratia fiat non attenditur, prout aliàs in militi artem agriculturæ operas suas dietim locando, quod nõ amisserit priuilegia militaria declarauit Senatus noster 3.Nouẽb. 1620. in illa fratrum Ossons, & Commendatoris, & Baiuli de Asco, referente magnifico Hyppolito Montaner, quam adducit *Fontanella de pac.nup.tom.2. claus.7.glos. 3.p.15.num.74.*

Secundò, dictum Ioannẽ Acasium Vernal in ista prætensione tutum

tutum omnino reddit, quod in Regno Aragoniæ in quo originē traxit, & in Regnis Castellæ, & Nauarræ in quibus commoratus est nobilitatis & hidalguiæ priuilegia non amittuntur per exercitium artis hystroniacæ, seu comicæ. Executoria siquidem suæ hidalguiæ fuit dicto Ioanni Acasio Vernal expedita, eum vocando auctorem de comedias, & in decretis Vallisoleti, & Pamplonæ, quibus fuit è carceribus relaxatus pro obseruantia priuilegij suæ hidalguiæ dicitur, & nominatur auctor de comedias. Sanè ex his probatur consuetudo, quod in illis Regnis ars comica nō est vilis & sordida, sed honesta & honorifica, & quod per eius exercitiū non amittitur nobilitas, seu hidalguia: Consuetudo siquidem ex sententijs aliorum Iudicum inducitur, *l. si de interpretatione, ff. de legibus, glos. in l. nemo Iudex, ver. magistratus ad medium, C. de sententijs, & interlocutio. om. Iud. Stepha. Gracia. discep. Forens. tom. 3. cap. 460. n. 23. & 24.* Atqui in hac materia nobilitatis & ex quibus amittatur stādum est consuetudini, vt optimè exemplis confirmans tradit *Tiraquellus de nobilita. c. 34. n. 32.* & probat *Castro in cons. 125. n. 4. lib. 2. Ruin. cons. 66. n. 23. lib. 3. Soci. cons. 246. post n. 3. lib. 2.* Ergo iure optimo concludēdum est dictum Ioannem Acasium Vernal non amittere nobilitatis, seu hidalguiæ prærogatiuas, ex quo comedias representet, sed ad exemplum, & secundum obseruantiam, aliorum regnorū esse è carceribus relaxandum.

Tertiò & vltimò, dictus Ioannes Acasius Vernal est hidalgus sanguinis, vti in sua executoria continetur, quam ornant adducta per *Regentem Sesse decis. 1.* hæc autem nobilitas sanguinis & à maioribus quæsita non amittitur per exercitium artis sordidæ & vilis, quinimo perpetuo durat & retinetur, quod enim traditur vulgo nobilitatis & hidalguiæ priuilegia amitti ex exercitio artis vilis & sordidæ, secundum allegata in principio discursus. Procedit in nobili ex priuilegio, non in nobili sanguinis, & cui à maioribus splendor venit, vt sunt hidalgui: hæc enim nobilitas perpetua est, quia iura sanguinis & naturalia sunt immutabilia, *l. iura sangu[in]inis, ff. de reg. iur. §. sed naturalia, inst. de iure nat. gen. & ciui. l. ius agnationis, ff. de pact. l. si te, C. de ingenuis manumis. l. diui, §. diui, ff. de liberali causa*, & ideo per exercitium artis vilis & sordidæ non obumbratur, *Rebuffus 2. tom. ad leges Regias, ti. de mercato. in minuto. vēdent. glos. 1. n. 21. Tiraq. de nobilita. c. 25. n. 5. & cap. 35. per totum, Ludo. Mexia ad prag. taxæ panis concl. 6. n. 24. Abendaño in dictionario legum partitarum verbo Cauallero, vers. Nec obstat, cum seq. Otalora de nobilitate 2. p. c. 5. n. 12.* ibi, *apud nos verò nobiles ex patre & auo, etiamsi non nobiliter, sed viliter viuat, gaudet nobilitate. Sarmiento lib. 1. selectarum cap. 15. n. 2. in fine*, & hoc esse in Hispania receptum testatur *Couar. in practicis c. 19. nu. 7. vers. Quin & receptum, Ioan. Garcia de nobilitate glos. 1. §. 1. n. 58. & glos. 7. n. 17. Gutier. pract. quæst. lib. 1. q. 137. n. 18. & lib. 3. q. 13. Azebedo in l. 12. ti. 12. n. 5. lib. 5. recopila. reg. & in l. 3. tit. 1. n. 13.* vbi sic vidisse sententijs Cancellariæ declaratum profitetur *Gironda de priuilegijs q. 151. num. 831. & q. 195. n. 1069.* multis ornat nouissimè

simè *Alphonsus Narbona lib. 6. tit. 2. de los hijosdalgo, l. 14. glos. 1. nu. 90. & sequent.* qui *nu. 100.* hæc verba subijcit: *Superiora itaq; omnia manifestissimè suadent, nobilitate sanguinis mercaturam sordida officia, vilissima & mechanica non officere, nec eo minus posse nobiles à tributis collectis, alijsq; exactionibus immunes haberi, ac priuilegijs sibi concessis perfrui, ac si nobiliori exercitio aut nullo potirentur, vt diximus*, & antea hac distinctione vsus fuit *lib. 2. tit. 4. l. 61. glos. 1. num. 22. vers. Quod debet intelligi*, addo doctissimum *Fabrum in suo Codice lib. 9. tit. 28. de dignitatibus & nobilitate defi. 1.* his verbis rem hanc definientem: *Quid ni verò cum is ipse qui mechanicas artes exercuit si ab antiqua prosapia nobilis fuit sola desistentia recuperet nobilitatem, neq; vlla indigeat rehabilitatione, qua proculdubio indigeret qui ex priuilegio & sola principis concessione primus sibi suisq; nobilitatem quesiuisset*, allegat *Masuer. in tit. de tallijs seu collectis*, §. *item illi qui sunt nobiles, & Casa. cons. 64. viso processu, col. penul. vers. Sed dato.*

Et ita fuit decissum in Senatu nostro. Primò referente magnifico Ioãne Gallego in illa Aulina, & Saluany me aduocato, nam cũ esset miles sanguinis, & tabarnarius factus debitorium cum scriptura tertij firmasset, & in carcerem missus fuisset; tandem fuit pro obseruantia priuilegij relaxatus, & iterum in allegata causa fratrum Ossons supra allegata, in qua sunt hæc verba, *quia erant quodam iure sanguinis milites, quod ius est immutabile, nec deficit tempore, nec loco circumscribitur*, refert *Fontanella vbi supra.*

Ex prædictis ergo dictum Ioannem Acasium Vernal hidalgum pro obseruantia sui priuilegij fore è carceribus in quibus detinetur liberè relaxandum indubitatum apparet. Hæc saluo, &c.

Vinyes I. V. D.

Cum licentia, Barcinone, ex Prælo PETRI LACAVALLERIA in via den Arlet, iuxta Bibliopolas, Anno per CHRISTVM restitutæ salutis M. DC. XXVIII.